



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Via primæ diei in solitudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

crucifixus, tribus tantum pagellis constat; dolore nimirum paupertate, despectione. Hoc compendium est Evangelij hæc summa vitæ, & passionis Christi Jesu. Breve dictu est, quo tamen totum dicitur: *Ama paupertatem, ama dolorem, ama contemptum*: & jam cum Christo crucifixus es; jam Christi vitam ac passionem in temetipso expressisti.

CAPVT IX.

Via trium dierum in solitudine; sive, Exercitium omnimodæ nuditatis & abnegationis sui, ad exemplar JESU Christi crucifixi.

Exod. 8.

QUOD olim Moyses ad Pharaonem: *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino DEO nostro*: hoc in rem præsentem non absurdè opinor, usurpabimus. siquidem si DEO perfectè placere, eiq; de nobis porum sacrificium exhibere volumus; nobis quoq; deserendum Ægyptus est, pergendumq; in vastam ac profundam solitudinem, hoc est, in mœstissimum cor benignissimi Jesu, in passione sua prorsus desolati & derelicti. Quod quâ ratione possit effici, aut quænam sit via trium dierum, quâ pergendum nobis in eam mysticam solitudinem, jam ingradior dicere.

§. I.

Via prima diei in solitudine.

Prima dies hujus solitudinis consistit in abdicatione & nuditate rerum temporaliû, earum inquam, quæ vel ad carnis sensuûmq; commoda, vel ad quotidianas vitæ necessitates, opportunitatésve pertinent. Ab his enim rebus desertissimum Christum fuisse, vel hinc intelligitur, quid

in laboribus à juventute sua, primùm in paupere parentum domo, non delicatam ac mollem, sed inopem duramque, ac labore fabrili exercitam vitam duxerit. Tum, inter labores disseminandi Evangelij, sæpe pondus diei & æstus, sæpe famem sitimve sustinens, ex aliena semper beneficentia vixit, nullà certâ sede, nullo proprio loco consistens, ut ne haberet quidem (quod de se ipse testatus est) ubi fessum tot laboribus reclinaret caput. Tandem supremo vitæ suæ tempore, longè altiùs penetravit se in hanc solitudinem, in summa quæ esse aut fingi cogitatione possit rerum omnium desertione moriens; cum jam, etiam veste inter milites divisa, nudus penderet in patibulo, atque in escam fel, acetum pro potu, pro lectulo crucem, pro cervicali spinas haberet; neque omni duntaxat destitueretur auxilio aut solatio humanæ vitæ, sed per omnes sensus ac membra sacratissimi corporis, diris cruciatibus ac doloribus conficiaretur. Hæc paupertas fuit ac nuditas Domini tui Crucifixi.

Luc: 9.

Ex ejus igitur imitatione, si te in harum rerum abdicatione exercueris, si cum patientia & gaudio fortunarum jacturam aut paupertatis incommoda, si dolores corporis, morborum tædia, poenitentiae laborem libenter sustinueris, si demum relictis omnibus nudum Jesum nudus securus fueris; jam diei unius itinere in hanc solitudinem intraveris; hoc est (ne sic fortè totum te perfecisse putes) ipsa saltem Christianæ perfectionis initia, & spiritualis vitæ tanquam fundamenta posueris.

Quàm verò libenter habiturus sit te Christus socium in hac solitudine, declarant hæc ejus verba ad quandam dilectam suam, de S. Gertrude ægrotante: *Cum inestimabili gaudio expectavi tempus hoc, ut electam meam ducerem in solitudinem, ut ibi loquerer ad cor ejus.* Mox autem explicans quæ esset illa solitudo: *Verbi gratiâ (subdit) solitudo est infirmi-*

l. 5. Infn.

c. 1.

141

cas, ubi Dominus loquitur ad cor dilectæ suæ: unde verba Domini ad electam sunt tribulationes & gravamina cordis, &c.

§. 2.

Via secunda diei.

Secunda dies ejusdem solitudinis, sita est in ea desolatione quam patitur anima, in defectione & desertione amicorum, eorum præsertim, à quibus spiritali aliqua necessitudine conjunctis, opem solatiūmq; in rebus dubijs, & internis animi cruciamentis expectare debuerat: quæ desolatione, ipsis præsertim conversionis initijs, nescio an anime quærenti Deum obvenire quidquam possit acerbius. Itaque subinde usu venire videmus, ut qui ad cætera tela sine lenis sint, qui bonorum direptione dolores corporis, aut quantumlibet austeram vivendi disciplinam pro nihilo ducant; hæc demum sentiant & ferant impatientius, si vel desit, ad quod de animi sui rebus liberè ac tutò referant, vel auferri contingat, cui jam suam conscientiam commiserint, vel eam denique, non pro eo ac vellent, aut res ipsa exposcere videretur, sibi studere existiment.

Quo quidem genere experimenti Sanctas Teresiam, Catharinam Senensem ac Genuensem, Lydvinam, aliasque Christi sponsas, non mediocriter exercitas ac probatas legitimus; ut in spiritualibus necessitatibus desererentur à conscientia suæ Directoribus, atque ab iisdem vel incerto spiritu duci, vel etiam ab Angelo tenebrarum manifestè decipi crederentur: divinam nimirum Providentiâ eas sensim docente in interiora solitudinis, ut ab uno Deo denique perdere condiscerent, atque ablatari ab omni etiam spiritali solatio, quod ab homine posset expectari.

Ad hoc igitur & tu experimentū te compara; & altera jam die, intra in desertum cordis Christi: qui (ut hunc etiam desolationis modum experiretur) ab uno discipulorum de-